Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2935

Quelle:
Copyright:

in edit. *Opp. Joh. Gerſonii*, qui inter Delegatos fuit, reperio, ut adeo et inedita eſſe conjiciam, et fine caruiſſe, cum Reformatores a Concilio nominatos non usque ad res *Ordinum mendicantium* progreſſos fuiſſe autumem.

DCCCX.

359 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 73. f. bene ſcriptus, rubricisque diſtinctus eſt *Benedictionale* conſtans *Capitibus* XLI. quorum Tituli ſequuntur: *De ſcrutinio. De Baptiſmo. De confirmatione. De bened. ignis in cena domini. De reconciliatione penitentium. De ordine in cena domini. De bened. ignis. De bened. agni in paſcha. De dedicatione ęccleſię. De bened. corporalis. De bened. linteaminum uaſorum aliorumque inſtrumentorum ęccleſię. De bened. ueſtimentorum ſacerdotalium. De bened. albarum planetarum ſtolarum cingulorum. De bened. euchariſtialis uaſculi. De bened. patenę. De bened. calicis. De bened. crucis. De bened. crucis metallizatę. De bened. tburibuli. De bened. incenſi et tbimiamatis. De bened. capſarum. De bened. ciborii. De bened. tabulę itinerarię. De bened. baptiſterii. De bened. campanę. De bened. ſacrorum ordinum. De bened. ſacrarum uirginum. De bened. ueſtimentorum earundem. De bened. ſacri uelaminis. De bened. uirginum quę conuertuntur. De bened. uiduarum caſtitatem profitentium. De bened. ueſtimentorum earundem. De bened. abbatiſſę canonicam profitentis regulam. De bened. abbatiſſę monachicam regulam profit. De bened. abbatis. De bened. clerici faciendi. De bened. maiori aquę et ſalis. De bened. minori ſalis et aquę. De ordine in purificatione. De ordine palmarum. Ordo pro morientibus et mortuis.* Quibus accedit *Ordo ad ungendum Infirmum.* Rubrica C. I. ſic incipit: *Sabbato Sancto Paſchae ueniant ad eccleſiam qui baptizandi ſunt cum patrinis et matrinis* &c. Sequitur Exorciſmus: *Nec te latet ſatanas imminere tibi pęnas* &c. Ordinem hunc invenio e *Cod. Calenſi* 800. circiter annorum editum ab *Edm. Martene* T. I. *de ant. Eccl. Ritib. Antverp.* 1736. L. I. c. 1. *col.* 190. f. Atque ita et reliqua *Cod.* noſtri cum per vaſtum hoc opus, tum per *Liturgiam vet. Romanam* a *Muratorio*, *Gallicanam* a *Mabillonio* et *Alemannicam* a *Mart. Gerberto* editam ſparſa leguntur. Ad Eccleſiam aliquam e poſterioribus pertinuiſſe ſuadent nomina Sanctorum, quae *fol.* 15. p. 2. in *Litaniis* recitantur, puta: *cbiliani cum ſociis*, *Galli*, *Ruodperti*, *Corbiniani*, *Uualdpurgis*, *Radegundis* et *Erintrudis*, neque fortaſſis a vero aberit, qui *Salisburgenſi* tribuet, motus hac oratione pro Defunctis, quae extat *fol.* 71. *Adiuua nos domine deus noſter. beati ruodperti confeſſoris tui. omniumque ſanctorum tuorum precibus exoratus. et animas famulorum famularumque tuarum omnium in chriſto. et in circuitu buius ęccleſie quieſcentium. in beatitudine ſempiternę lucis conſtitue. Per* &c.

DCCCXI.